

*

Vitt. Gud. fmg. 1247

8

CURIOSITAS
INTER COMITATUM
FUNUS SPLENDIDISSIMUM
VIRI
PRÆ-NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
EXPERIENTISSIMI ATQUE EX-
CELLENTISSIMI,
DOMINI
JOH. CHRISTIANI
SCHAMBERGII,
PHIL. ET MEDIC. DOCTORIS, ANATOMIÆ,
CHIRURGIÆ ET CHYMIÆ PROF. PUBL.
ORDINARIÏ, FACULTATISQUE MEDICÆ ASSES-
SORIS LONGE CELEBERRIMI,
ACADEMIÆQUE
HOC TEMPORE SIMUL
RECTORIS MAGNIFICI
LIPSIAE VII. CAL. SEPTEMBR.
ANNO CHRISTI M DCC VI
PROSEQUENTEM.

LIPSIAE,
Literis IMMANUELIS TITIL



*Rgo in rimandis saturasti pectora re-
bus,*

*Et satis haud visas intrasti doctus
abyssos,*

*SCHAMBERGI, dubii certa explora-
tio mundi,*

Et clara obscuri rerum patefactio vultus.

Quæ rara, ingenita est spectandi tanta voluptas.

Quam non hac cura GENITOR celeberrimus arsit,

Qui tua vix paucis præcessit funera funus

Mensibus! Ille ipsos accesserat impiger Indos

Fine hoc, non timidis animis incommoda curans

Certa viæ, trepida non mente pericula spectans,

Quæ nunc efficerent immensi insania ponti,

In medio nunc sol mundo sævissimus æstu,

Non satis hospitibus nunc barbarus incola promus.

Nam norat terras adeundas gignere, frustra

Quæ vel per cultas Europæ quæreret oras,

Allicerent avidum seu pectus aromata, nobis

Seu faceret stimulos herbarum haud obvia virtus,

Sive irritarent peregrinæ animalia sortis,

Gemmarum splendor nitidus seu calcar haberet,

Inque his inprimis adamantina saxa moverent.

Rararum non est scrutatio Lipsica rerum

Deterior. Massas fila in longissima parvas

Auri diduxit. Filis per blanda volutis

Serica mox, varioque iterumque iterumque reflexis

Ordine, grande decus confecit vestibus, aulæ

Luxuriam exigerent seu fulgida culmina regum,

Sive aliâs dulces ornarent flammea tædas.

Et quis delitias insuetas negligat horti?

Nempe admirandum est, clausæ munimine firmo

Quod conservatur; gravidis quod fructibus ad se
 Allicit arboribus venientes, recta feraces
 Seu natura soli faciat, pinguedine sumpta
 Sedibus ex aliis seu pensent fœnore sumtus
 Sperato impensos: quod non tam lumina flores
 Quam stomachum pascunt præbendis victibus herbæ
 Natæ: quod stabulum multo pro pisce paratum est
 Non uno in variis factis conamine fossis:
 Multaque fœcundas satiant quod gramina vaccas.
 Ipse autem mores, RECTOR LUGENDE, paternos
 Antiquo præstas numero, vincisque recenti.
 Plus facis in patrio, Genitor quam fecerat ipse,
 Fundo. Servandis domibus solum iste laborat.
 Corporibus fervens ægris Tu commoda quæris,
 Quæ sint pellendæ, spectans, medicamina tusi,
 In quæve in lentam condatur potio tabem
 Atque bona in saniem corrosio vulneris herbâ.
 Vidimus in Chymicis conata insignia furnis.
 Quæ dent infirmis tristi sine fraude salutem,
 In liquidas redigis, vel, quæ siccissima, guttas,
 Et quæ tangentes faciunt humoribus udos,
 In sicco pellunt causantia pulvere mortem,
 Res quoties flammis fortis mutare videris.
 Naturam imo apto præstas imitamine totam.
 Nunc pluviâ, veluti cælum, conclavia mittunt.
 Motus exhibuit nunc abdita cella tonantes.
 In patina in glaciem concreverat unda rigentem.
 Per fornacem oritur foto nunc pullus ab ovo.
 Jam lapis ex molli succo producitur asper.
 Ex vase exhaurit nunc auras anthia clausas.
 Non perit in mediis nunc respiratio lymphis.
 Sed nec vulgari dissecta cadavera ritu.

Ut doceant, hominum servataque corpora, molem
Humanam. Multus variæ sic embryo sortis,
Facto in maturum paulatim in ventre parentis,
Monstrat, procedit veluti de semine corpus.
Nunc larvam nudis constructam ex ossibus ad te
Jam pueros spectas quondam convertere vivos,
Jam juvenes, jam qui provec̃ta ætate senescunt.
Nunc saxum adspicitur, quod sectum ex renibus, ingens.
Nunc cor monstratur multo, fœtore remoto,
In medicata unda cum viscere pulmoque tutus.
Jamque erat ad plures animus procedere partes.
Sed placuit rerum studium tam nobile cælo
Non vulgatarum. Placida ergo morte vocatum,
Ad nos præsto adsis, ut plus inquirere fas sit,
Admonet. Et factum est. Cælestes namque recessus
Admotum subiens se totum ad gaudia sensit,
Mortalis quæ nec vultus, nec percipit auris.
Pervia sicque notat sensis & clara beatis,
In vita hac quorum nulli vestigia constant.
Ut tria sint, summè felix intelligit, unum,
Compleat ut corpus totum uno tempore mundum,
Æternum ut fluxo prendamus corpore Numen,
Ut queat in cineres resoluta resurgere moles,
Materiæ crassum penetret perque ostia pondus.
SCHAMBERGI, in quantum indagando abduceris æquor!
Esto, adeoque, tibi multa exploraverit orbis.
Clarior in superis investigatio facta est.
Quæ natura abdit, per multos forte labores
Ex parte invenies ut possint vera videri.
Notitia, qua nil deprensus est certius, indit
Se menti in cælo Deus abstrusissimus ipse.



Datum der Entleiung bitte hier einstempeln!

06. Nov. 1936

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

SLUB DRESDEN



3 2432207

